

G. K.
428
14

x2316710

163
II h
695

Q. D. B. V.
ΠΥΛΑΣ ΑΙΔΟΥ
SIVE

PORTAS INFERORVM
EVETERVM POETARVM
MONIMENTIS ADVMBRAT
ET
LECTIONES EXTRAORDINA-
RIAS

IX. KAL. OCTOBR. c1512CCXXV.
IN ILLVSTRI SCHOLA PORTENSI
RITE INSTITVENDAS
INDICAT

M. FRIDERIC. GOTTHILF. FREYTAG

NVMBV RGI,
TYPIS BALTHAS. BOSSOEGELII.



OP. D. N.
H. A. C. A. I. A. O. T.
1717
PORTAS INFERORVM
E VETERVM PORTARVM
MONIMENTIS ADVMBRAT
ET
LECTIONES EXTRAORDINA-
RIAS

IN KAL OCTOBR. MDCCXXV
IN KIVSTI SCHOLA PONTENSIS
IN THE INSTITVTIONIBVS
INSPECT.
M. FABRICII, GOTTFR. HEYTING
INVENTOR.
TYPIS BALSAMI ASSPERSORII





* * *

Uamquam inferorum, qui veterum monumentis celebrantur, et crebris poetarum iactantur versibus, tam mira et insolens sit ratio, vt, quae de subterranea Plutonis regione, Homeri, (a) et Virgilio (b) carminibus prodita leguntur, teste (c) emunctae naris poeta:

Vix pueri credant, nisi qui nondum aere lavantur,

operam tamen haud inutiliter collocare videntur, qui, id sibi datum, arbitrantur, negotium, vt eiusmodi abstrusae antiquitatis particulam in lucem proferant, et aliorum oculis exponant. Nam praeterquam quod mortalium, si non omnium, at saltem sapientiorum, quem de animorum immortalitate illi habuerunt, sensum, hoc modo satis intelligimus; et ipsos animos, corporum vinculis solutos, vel praemii, vel poenae, vt rerum, in his terris gestarum, flagitavit condi-

) 2

tio,

(a) L. XI. Odyss. 13. sq.

(b) L. VI. Aeneid. 263. sq. confer. Ouid. L. IV. Metamorph. 432. Lucian. περὶ πένθους T. I. Opp. p. 784. edit. Basil.

(c) Iuuenal. Sat. II. 152.

tio, capaces fuisse habitos, facile animaduertimus; non parum sane utilitatis ex inferorum cognitione ad eos redundare videmus, qui sacris gentium inuestigandis, eruendisque sunt intenti, et veterum poetarum ad id ope vtuntur. Neque tamen nunc Aeneae exemplo, quod Virgilius (d) memoriae prodidit, per omnes inferorum recessus, curiosos circumferemus oculos; neque, quod doctum in Gallia virum (e) factitasse recordamur, quid vera gentium historia ex inferorum sede sibi vindicet, quidue poetarum relinquendum sit ingenio, magnopere excutiemus; sed eminus, et velut elonginquo constituti, inferorum modo portas intuebimur, atque ex antiquis monumentis illarum originem repetemus. Quandoquidem autem, vt inter omnes constat, vox ἄδς diuersa apud Graecos significatione gaudet, et praeter Orcum, modo sepulcrum, modo ipsam mortem indicat; fieri proinde solet, vt non vno loco πύλαι ἄδς, inferorum portae, ab antiquis scriptoribus positae, inueniantur.

(d) L. VI. Aeneid. l. c.

(e) Is est Furmontius, qui potiora de inferis apud poetas momenta eruit, et ad Aegyptiorum retulit historiam v. l' Histoire de l' Academie des Inscriptions et belles lettres T. III, p. 5. edit. Paris.

tur. Vt Homerum, luculentum illius rei te-
stem, nunc silentio praetereamus, Euripides (f)
ἔδρας σκοτίας tenebricosas sedes, et αἶδαο πύλας
inferorum portas coniungit, quas Apollonius,
(g) Argonauticorum scriptor

πύλας καὶ ἐδέθλια νυκτός

portas, et sedes noctis

nominat. Qua in re, Graecorum scriptores He-
braeos imitati sunt, quibus nonnumquam ἡνθ
ἡνθ inferorum portae, mortem, et sepulcrum
designant, qua ratione, septuaginta, vt vulgo
adpellantur, interpretes, isthaec verba per πύλας
ἄδης (h) vertunt, et vel mortem ipsam, vel se-

) 3

pul-

(f) In Alcest. 124.

(g) L. IV. Argonaut. 630.

(h) Ef. XXXVIII. 10. et auctor, qui Salomonis sapientiam descri-
psit, c. XVI. 13. Deum κατὰ γενεὴν εἰς πύλας ἄδης, καὶ ἀνά γενε, scri-
bit. Latinis poetis admodum solemne est, morti tribuere portas,
Lucretius, L. III. 67.

Et quasi iam leti portas cunctarier ante

Virg; L. II. Aeneid. 661.

patet isthic ianua leti.

Inter Christianos poetas Prudentius Cathemer. hymn. IX. 74.
de sepulcro:

Obice extrorsum repulso porta reddit mortuos.

Colomesius in Κεμηλ. litterar. c. XXVIII. vox, inquit, ἄδης ge-
neralis est, cum vel ad locum tormentorum, tum ad locum quietis;
et ex Hugonis Brugthoni Concentu Scripturae S. orationem do-
minicam adducit, cuius initium: πατέρες ἡμῶν, ὁ ἐν ἄδῃ. Sed
enim, insolens haec vocis ἄδης est notio, neque facile veteris
cuiusdam scriptoris suffragio confirmari poterit.

pulcrum intelligunt. Praeterea, veteres poetae quemlibet ad inferos aditum, vel, vt cum Aeliano (i) loquamur, *πᾶσαν ὁδὸν εἰς ἅδης φέρουσαν*, omnem viam, quae ad inferos ducit, eiusmodi portarum nomine insigniuerunt. Cum Orpheus, (k) vel quicumque alius poeta Orphei nomine occultus latet, Proserpinam, Cereris filiam, a Plutone abreptam, et curru ad inferos deductam, memorat, non procul ab Eleusi, Attica regione, id accidisse prodigium, refert

τόθι περὶ πύλαι εἰς ἅϊδαο

ibi enim sunt portae ad inferos.

Et Acheron, Marylandorum fluius, inferorum portis fuit conspicuus, quoniam, vt Apollonius (l) existimat:

Ἐνθά μὲν εἰς ἅϊδαο κατὰ βατίς ἐσι κέλευθος

Ibi est pronus descensus ad inferos.

Hinc Themistius (m) Theodosio, qui capitis damnatos vita donauerat, *ἐπαναγεῖν εἰς τὸν ἥλιον ἐκ τῶν πυλῶν Ἀχέρωντος*, reducere ad lucem ex portis Acherontis, tribuit. At enim, illarum praecipue portarum mentio est facienda, quas tanto a terra intervallo distare, ait Hesiodus, (n) quanto terra a coelo

re-

(i) L. IX. V. H. 18.

(k) Hymn. in Plut. 15.

(l) L. II. Argonaut. 354.

(m) Orat. XIX. p. 227.

(n) Theogon. 720. cum qua Homerus consentit Iliad. L. VIII. 16.

remota est spatio, quasque Homerus (o) ultra Oceanum, et Virgilius (p) ad Auernum paludem locat. Illae *πύλαι αἰδαο* frequentissime poetis in ore sunt, iisque satis bellam ad fabulandum materiam suppeditant. Ex aere enim fuisse fabricatas, Homero (q) interprete, discimus, ubi Iupiter, irarum plenus, iis, qui inuito, et insciente se, Troianis Graecisque auxilium tulerint, poenae loco, profundissimum sub terra barathrum comminatur,

Ἐνθα σιδήρειαί τε πύλαι
Vbi ferreae sint portae

quae causa est, quamobrem alio poeta loco (r) *ἀδην πυλάρτην κρατερόν ορσίον* *validas portas*, et Tibullus, (s) *aeratas habere fores*, adfirmat. Et quamvis Lucianus (t) inferis *πύλην ἀδαμαντίνην*, *ianuam adamantinam*, tribuit, Graecam tamen vocem, qua is utitur, de portarum firmitate ac robore exponi, intelligique debere, nemo non videt. Atque ita quidem inferorum portae validae, et aduersus vim satis munitae, vnumquemque ab aditu facile arcere poterant; sed ianitorum

(o) L. XI. Odyss. 14. sq.

(q) L. VIII. Il. 15.

(r) L. I. El. III, 72.

(p) L. VI. Aeneid. 126.

(r) L. XI. Odyss. 276.

(t) *περὶ πένθεσ*, p. 784.

rem ad spectu horribilem ad eas excubare conspicimus. Nam

Cerberus (u) haec ingens latraturae regna trifauci
Personat, aduerso recubans immanis in antro.
et dira non minus facie, quam ingenti ululatu
aduenas exterret. Etiam si enim Virgilius (x) iis,
qui fati concesserant, noctes atque dies atram
Ditis ianuam patere, cecinit, exire tamen cupi-
entibus oclusae erant portae, siquidem clauium,
quibus referari solebant fores, cura, ut Apol-
lodoros (y) auctor est, Aeaco, Iouis patrueli, de-
mandata fuit, cui et Lucianus. (z) τὴν Φερσάν τῆς
ἀδῆς custodiam inferorum, adsignat. Neque e lon-
ginquo arcessenda est causa, qua adducti fuere an-
tiqui poetae, ut χαλκῶν ἔρκος (a) ferreum sepimen-
tum, quo cinctam esse, credebant, Plutonis regi-
am, eiusmodi portis ornarent. Vetere enim et
fo-

(u) L. VI. Aen. 417. more prorsus antiquo, ubi canes magna
regum palatia custodiebant. Pluribus verbis hunc ritum Grae-
corum et Latinorum persequuntur Euerhard. Feithius L. III.
Antiquit. Homeric. c. XI. et interpretes ad Petronii c. XXIX.
Satyric. p. 104. edit. Burmanni.

(x) L. VI. Aeneid. 127.

(y) L. III. Bibliothec. c. XI.

(z) loc. supra cit.

(a) Hesiod. Theogon. 726.

solemni quasi instituto, vsus apud poetas incre-
buerat, vt paullo liberius indulgerent ingenio,
et res menti tantummodo obuias, atque ab o-
culorum conspectu remotas, sensuum ministe-
rio adsequi, et comprehendere studerent. Inde
vrbiū in terrarum orbe, simulacra ad superos
iuxta inferosque transtulerunt, firmissimis qui-
busdam eos cinxerunt moenibus, et, cum portas
praesertim vrbiū quam diligentissime a morta-
libus muniri, et custodiri, cernerent, arrepta
protinus similitudine, et Iouis Olympum portis,
quibus Horae adsederunt (b) vigiles, communi-
uerunt, et Plutonis Orcum, pari ratione, por-
tarum praesidio firmarunt. Vnius id Virgilio
exemplo manifestum est, qui, vt ingenio, et
singendi solertia Homerum longe multumque
superat; ita, dum inferorum describit domicilia,
tam certo omnia disponit ordine, vt, tabulam
inferorum, quam vocant, topographicam an-
te oculos te habere, existimes, in qua vicos, fun-

)()(

du-

(b) v. Homer. L. V. Iliad. 749,

dulas, et angiportus, in Orco adcurate dignoscere queas. Cum itaque omnes, qui vita excesserant, per inferorum portas ad Plutonis domum contendere, et neminem inde quenquam redire conspicerent, nihil tristius, formidolosiusque inferorum portis habuerunt, et prouerbio inde sumto, odium plusquam Vatinianum significarunt. Sic Achilles apud Homerum (c) de amico, qui aliud ore proloquitur, aliud animo occultum tenet:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κείνος ὁμῶς αἰῶνι πύλῃσιν
Inuisus ille mihi est aequae atque inferorum
portae.

Huic autem prouerbio, quod usu peruulgatum fuit in Graecia; si voces exceperis, nihil commune est cum Servatoris Opt. Max. effato, (d) quo is Christianorum caetum ita sibi curae fore pronunciauit, ut ne πύλαι αἰῶνος illum unquam opprimere, aut extinguere valeant. Illis enim
ver-

(c) Id. L. IX. Iliad. 311.

(d) Matth. XVI. 18.

verbis clementissimus humani generis Seruator, ad Hebraeorum respicit morem, quo illorum proceres in qualibet vrbe ad portas conuenire, (e) et de variis rebus consilia agitare solebant. Maximo igitur Christianorum animi recreantur solatio, quando ex iniquissimorum hominum consiliis, vel ipsius Satanae instinctu excogitatis, nihil sibi damni exitiue imminere, audiunt. Sed quoniam satis, et fortasse plus nimio de inferorum portis dictum est, nunc causam expromimus, quae ad scribendum permouit, excitauitque animum. Postquam tempus proxime instat, quo lectiones extraordinariae institui debent; praeterito autem anno, doctrina de angelis bonis explanata fuit; ordinis ratio postulat, vt *de angelis malis, et illorum domicilio*, quod, voce a priscis patribus

ac-

(e) v. Casaubon. Exercitat. ad Baron. XV.

P. 355.

AK Th 695

accepta, *infernum* vocamus, hoc tempore agamus. Vos, *Alumni Electorales*, muneris, quod sustinetis, officiique ratio admonet, vt animos ad audiendum promptos et paratos adferatis.

Scrib. in Illustri Schola Portrensi X. Kal.

Octobr. clolo CCXXV.





Q.K.
428
14

x2316710

183
Π h
695

Q. D. B. V.
ΠΥΛΑΣ ΑΙΔΟΥ
SIVE
PORTAS INFERORVM
EVETERVM POETARVM
MONIMENTIS ADVMBRAT
ET
LECTIONES EXTRAORDINA-
RIAS
IX. KAL. OCTOBR. c1515CCXXV.
IN ILLVSTRI SCHOLA PORTENSI
RITE INSTITVENDAS
INDICAT
M. FRIDERIC. GOTTHILF. FREYTAG

NVMBVRGI,
TYPIS BALTHAS. BOSSOEGELII.

